



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1714

Q. 66. Quid addendum sit circa defectum natalium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42682

lo, dum vel aliquid extra tempus faceret, vel facere omitteret in tempore.

§. 5. Balbutientem ordinari posse dixi l. 6. p. 503. 2. n. 2222.

§. 6. Claudum non esse irregularem, si absque baculo & pede ligneo ad altare accedere, stare, & Ordinum functiones obire possit, quamvis unum crus sit brevius altero, ita Coloniae 2. Martii 1667. resolverunt 4. Doctores Theologiae ex Cap. *Si quis infirmitate* Dist. 55. Cap. *Nullus Episcopus* de consecr. Dist. 1. junctis Gloss. & habent Nav. c. 27. n. 199. Henric. l. 4. c. 8. n. 1. Mol. tr. 3. d. 70. n. 9. Castrop. tr. 29. d. 5. p. 11. n. 3. & consentit Laym. additâ tamen limitatione, nisi sit nimia deformitas.

Q. 65. *Quid addendum sit circa defectum natalium.* R. §. 1. Illegitimi omnes siue sint naturales siue spurii sunt irregulares ad quodvis Beneficium. vide dicta l. 4. à n. 750.

§. 2. Natus ex conjugata praesumitur filius mariti, etiam si constet, quod sub tempore conceptionis mater cum adultero habuerit copulam, si etiam marito patuit aditus ad conjugem. Nec tenetur talis filius credere matri etiam juranti eum esse ex adultero, tum quia mater ipsa rescire non potest, tum quia revelat propriam turpitudinem, ideoque non meretur fidem: unde etiam talis filius potest se habere tanquam legitimum quoad omnia & non irregularem. Haec omnia latè probant adductis legibus, Auctoribus & rationibus Sperell. Decis. 173. 174. 175. & Pignat. tom. 7. conf. 40. & tom. 9. conf. 153.

§. 3. Proles nata è conjugibus obligatis voto castitatis, non est illegitima nec irregularis, quia L. *Filium* 6. ff. *De iis qui sunt sui vel alieni juris*, dicitur

tur eos esse legitimos, qui concipiuntur à parentibus vero Matrimonio junctis, *Sanch. De Matr. l. 9. d. 38. n. 3.* Si alteruter conjux bimestri ante consummatum Matrimonium professus esset in Religione, proles esset spuria, quia esset nata soluto Matrimonio ex illis, qui tum non poterant validè contrahere, *Sanch. n. 4. & dixi l. 4. n. 752.* Si unus altero invito post consummatum Matrimonium esset professus in Religione proles esset legitima, quia professio esset irrita, *Sanch. n. 5.* Si post sacros Ordines à viro susceptos, aut post professionem religiosam consummato antea Matrimonio, proles esset simpliciter legitima, quia nata in vero Matrimonio, attamen secundum quid illegitima & irregularis per *Cap. Litteras De filiis presbyt. Sanch. n. 7. & dixi l. 4. n. 752.*

508. §. 4. Judæi & infideles conversi non ideo sunt irregulares, quia sic nati, nam Apostoli ipsi fuerunt tales. Aliud est, si relaberentur in infidelitatem, *De Luca in Miscell. eccles. disc. 34.*

509. §. 5. Exposititios esse censendos illegitimos & irregulares docent *Majol. Alciat. Vasq. Tolet. Sayr. Vgol.* alique multi, quos citat & sequitur *Pignat. tom. 7. conf. 34.* quia qui exponuntur sunt communiter illegitimi, res autem judicanda est secundum communiter contingentia. Plura de exposititiis dicta vide *l. 4. n. 766.*

510. Q. 67. *Quid addendum sit circa defectum ætatis.*
R. §. 1. Quæ ætas requiratur ad tonsuram & singulos Ordines dictum est *l. 6. p. 2. n. 2214.* Unde antem ea ætas inchoetur, quomodo completa esse debeat, an ordinatus bonâ aut malâ fide ante ætatem post obtentam ætatem dispensari debeat ad exercitium Ordinis, quis in ætate dispensari